THEOLOGISCHE SAMMELHANDSCHRIFT

Entstehungsort unbestimmt, 14. Jh. Seite 40v

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35467
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

parieris tu cum tuis omnibus iter ibis / et statim de ytalia recessit.

De sancto Germano episcopo. C.xvi.

Cvm sanctus Germanus in episcopum esset ordinatus mox substantiam suam pauperibus erogavit / et corpus suum per xxx annos sic afflixit ut numquam panem frumenti, non vinum, non leguminia vel sal pro sapore comederet. Ter tantum in anno / scilicet in pascha, in penthecoste, in natali vinum sumebat / sed tamen ipsum vini saporem aquis nimis extinguebat. In refectione primum cinerem prelibabat, deinde panem ordeaceum sumebat. Semper autem ieiunans numquam nisi vespere comedebat, estate et hyeme. Nullam vestem aliam habuit preter cilicium et tunicam vel cucullam. Lectus suus cilicio et cinere et sacculo ornabatur. Numquam vestimenta, raro calciamenta et raro cingulum detrahebat / super hominem sic fuit omne quod gessit / quia talis eius extitit vita ut si miraculis caruisset incredibilis videretur / tanta fuerunt miracula ut nisi merita precessissent fantastica putaretur.

De humilitate sancti lupi episcopi. C.xvii.

Eodem tempore beatus lupus episcopus Trecassine florebat / cuius urbem cum atyla obsideret, super portam beatus lupus ascendens quis esset qui eos sic impeteret inquisivit. Cui ille: Ego sum Atyla flagellum dei. Quo audito humilis presul gemens ait: Et ego lupus hev vastator gregis dei et indigens flagello dei. Mox portas aperiri iussit. Illi autem divinitus excecati / a porta ad portam transierunt nec neminem videntes aut ledentes.

De perfectione beati Germani et lupi. C.xviii.

Beatus igitur Germanus assumpto beato lupo episcopo in brittaniam profectus est quem quidam ex discipulis eius gradu concitato sequebatur / qui tamen apud comadorem occubuit infirmatus. Rediens inde beatus Germanus sepulchrum discipuli aperiri fecit / ipsumque vocans ex nomine quid ageret, an secum adhuc militare cuperet inquisivit. Mox ille residens cuncta se constare sua via / ac se nolle huc ulterius revocari respondit. Tunc sancto annuente ut quiesceret / ille deposito capite in domino rursum obdormivit.

De subulco in regem coronato. C.xix.

Dvm sanctus Germanus in Brittania predicaret